

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8782

Auteur(s) : Jean Ier, Alençon (comte)

Bénéficiaire(s) : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1180-1185]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Vidimus du comte Jean d'Alençon constatant l'accord intervenu entre les abbayes de Saint-Martin de Sées et de Perseigne, motivé par les donations de la famille Cotinel.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Danguin, 1880, n° CCVIII, p. 141-143.

Dissertation critique

Cet acte se situe entre le début de l'abbatit d'Adam de Perseigne (vers 1180) et la fin de l'abbatit de Jean de Saint-Martin de Sées (avant 1185).

G. Fleury signale que l'auteur de l'acte est Jean Ier, comte d'Alençon (1171-1191). Voir FLEURY, *Cartulaire de Perseigne*, p. 141, note (3).

Texte d'après a

Ego Johannes filius Johannis (sic pour Guillelmi) comitis, notum volo fieri presentibus et futuris quod Erardo existente abbate presente, Johannes Sancti Martini sagiensis abbas et totus ejus conventus dederunt et concesserunt abbatie de Persenia, in perpetuum possidendum, quicquid in feodo Richardi Cotinelli habebant scilicet in terris, in pratis, in nemore et stagno et molendinis. Istud donum Richardus Cotinellus, cum uxore et filiis suis, concessit in capitulo sagiensi presente ejusdem loci abbate Johanne, cui Richardo pro concessione ista fratres de Persenia dederunt XX solidos cenomanenses et equum. Sciendum vero est quo monachi sagienses feodum illud indivisum cum Richardo possederant, scilicet fratres de Persenia accepto ab ipsis illius feodi dono pari consilio feodum illum citra et ultra ductum aque cum prefato Richardo in pace diviserunt, molendino et stagno in communi adhuc remanentibus. Quia vero per quasdam particulas fratres Persenie citra ductum aque et ultra quedam possidebant, et Richardus similiter communi placito inter se convenerunt ; Richardus scilicet et monachi de Persenia quatinus abbatia Persenie plenarie haberet quicquid de feodo Richardi Cotinelli erat citra ductum aque, scilicet sicut rivulus Clarifontis fluendo descendit in rivulum Servatorii et ab altera parte situm via de Jarreia descendit in ipsum Servatorii rivulum et preterea agrum de Jarreia qui ultra viam est. Richardus vero haberet quicquid de feodo illo prefati fratres ultra ductum aque possidebant et partem quam ipsi habebant in stagno et molendino. Hoc concesserunt et confirmaverunt Richardus Cotinellus et filii ejus apud Sanctum Remigium in curia plena coram patre meo et Hugone de Merlaio et prefati fratres, pro hac commutatione, dederunt ipsi Richardo C solidos cenomanenses et uxori ejus et filiis X solidos cenomanenses. Preterea Richardus et filii ejus dederunt in elemosinam

abbatie de Persenia pratum de eodem feodo quod est ultra ductum quod fuit monachorum Sagii, acceptis a monachis XXXVI solidis cenomanensibus. Preterea Richardus pro anima fratris sui Girardi dedit et concessit dicte abbacie campum Liardi pro equo liardi sic vocatum. Sciendum preterea quod Guillelmus Hericius ad religionem veniens concessione filiorum suorum dedit et concessit fratribus de Persenia quicquid habebat in feodo Richardi Cotinelli quod ipse Richardus et filii ejus concesserunt libere absque omni servicio terreno, acceptis de caritate eorumdem fratrum XV solidis cenomanensibus et VI denariis et una summa vini. Preterea Girardus filius Odonis Cotinelli dedit et concessit sepe dictis fratribus campum et essartum de Faiel et jugerum commutatum pro campo Martini. Quod autem super hac donatione eos de cetero non molestaret in eorum capitulo se juramento astrinxit. Et hanc donationem assensu matris sue et consilio patris factam, super altare abbacie obtulit pro hoc accepit a monachis XV solidos cenomanenses et Odo pater ejus XXXV solidos cenomanenses, et mater ejus vaccam. Duos preterea agros quos monachi habent : unum ex donatione Hamerici Cotinelli et heredum ejus alterum ex donatione Galterii Le Roille et Richardi filii ejus qui agri sunt de feodo predicti Girardi Cotinelli, concessit idem Girardus predictis fratribus libere et sine terreno servicio possidendos et quia super his donationibus et commutationibus, Odo Cotinellus et Pochardus frater ejus et Girardus filius Odonis sepissime dictos fratres molestaverant, tandem volente Deo in presentia mea pacifice in hunc modum composuerunt, scilicet quod Adam abbas Persenie et conventus ejus dederunt Odoni Cotinel XL solidos cenomanenses et Pochardo fratre ejus XV solidos cenomanenses et Girardo filio Odonis X solidos cenomanenses. Ipsi vero pro redemptione animarum suarum et antecessorum suorum concesserunt et confirmaverunt abbacie de Persenia omnes donationes et commutationes que in presenti carta expresse sunt libere et absque terreno servicio et sine reclamacione aliqua in perpetuum possidendas. Ego igitur ut hec Cotinellorum donatio et elemosina inviolabilis et inconcussa permaneat presentem cartam sigilli mei auctoritate munio et confirmo. Testes hujus rei id est compositionis inter Cotinellos et monachos de Persenia et confirmationis per impressionem sigilli mei sunt Robertus filius comitis et Willelmus filius comitis, Herbertus de Berneriis, Herbran de Sancto Petro, Helinant de Conge, Peison de Molins, Adam abbas, Gondoinus supprior, Arnulfus de Sureio, Willelmus de Mennone cellarius, Richardus de Perreriis, Matheus de Tovigne, Radulfus de Cortangis.